

1847-1880

I.

Valere iubent

Vetus Gymnasium Palaepolitanum

novam Musarum sedem

ingressuri

Director, Praeceptores, Discipuli.

1847—1889.

1. Bis vicies et bis celebrarunt paschata sancta,
Urbis qui nostrae moenia grata tenent,
Artibus ingenuis postquam haec domus aedificata est,
Cui nunc supremo dicimus ore Vale.
5. Accipe, quo verbo discedunt semper amantes,
Hoc, domus, accipe nunc, nunc iterumque Vale.
Arboribus patulis dense stipata nitebas,
,Gymnasium' portae limina summa vocant.
Haud procul e stagno tenui pellucidus unda
10. Fonticulus puras eiacular aquas.
Quattuor angustos complectitur area calles,
Est ubi ludentes discipulos videas.
,Hae latebrae dulces et, iam si credis, amoenae'
Incolumem nostram detinuere scholam.
15. Hic studiis exulta bonis sunt pectora pura
Manavitque diu quodlibet inde decus.
Ast ubi laeta animis surrexit ad arma iuventus,
Armis cum tremuit sanguineis patria:
Ecce repentino motu nostra hinc quoque pubes
20. Arreptis gladiis hostibus obvia fit.
Et victa patriae minitata saepe ruinam
Gallorum turba terrificaque manu
Discipuli nostri, cum risit adorea nobis,
Tum positis gladiis frondicomi redeunt.
25. Iam discendarum rerum inflammata iuventus
Inde magis multo militat in studiis;
Complentur pueris studiosis atria nostra
Multos atque foras haec domus ire dolet.
Altera tunc petitur Musarum proxima sedes,
30. Ingeniis teneris hospita quae pateat.
Nam ceu melliferae distendunt nectare cellas
Sedulo apes, certant atque labore gravi;
Stipatur numero premiturque alveare susurrans
Examenque novum frondea tecta petit:
35. Sic laeto numero dudum pressa est schola nostra
Ominibusque bonis avolat hinc alio.
Haud procul exsurgit rubefacta pariete fulgens
Arduaue in mediis aedibus ampla domus.
Vestibulum: ,Tectis, pueri, succedite nostris!'
40. En vocat, excipiunt agmina laeta fores. —
Coeptis o faveas nostrisque laboribus adsis,
42. — Illic sicut adhuc, perpetuo, Deus, hic! — 42.

H. Babucke.

